



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXIV. Ieiunium efficax contra pestem pharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. LXIV.

Ieiunium efficax contra pestem pharmacum.

Sequitur vt de jejunijs secundum ordinem ab Angelo positum breuiter aliquid dicamus, quod ad rem nostram faciat. Ac imprimis jejunium vtile esse ad Deum colendum adeoque nobis promerendum, certa est Catholicorum sententia. Honori enim sibi ducit Deus dum eius causa jejunamus. De hoc cultu loquitur S. Lucas cum de Anna vidua dicit, *Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Et ipsa magna Nicæna Synodus canone quinto vocat jejunium Quadragesimæ, mundum & solemne munus quod offertur ab Ecclesia Deo. Quomodo etiam loquitur Tertullianus ubi Sacrificia Deo grata vocat, feras & aridas escas. & S. Leo Ser. 2. de jejunijs decimi mensis: Pro consummata, inquit, perceptione omnium fructuum, dignissime largitori eorum Deo continentie libamen offertur.

Neque solum ad colendum Deum, sed, vt dixi, ad eum promerendum, & eidem satisfaciendum pro peccatis nostris vtile est. Ostendunt hoc exempla Scripturarum. Niniuitæ jejunijs Deum placauerunt & exterminium euaserunt. Hebræi tempore Judith & Esther non alio sacrificio quam jejunijs, fletu & planctu apud Deum misericordiam inuenerunt. Estque eadem doctrina antiquorum Patrum. Iram & offensam Dei, inquit Cyprianus jejunijs & fletibus, sicut monet ipse, placemus. Sicut primum

O o

Luc. 2.

Libr. de
Resurr.
carnis.

Ioa. 3.

Serm. de
Lapsis.

v fus

Lib. de
ieiun.

vsus cibi perdidit, ait Tertull. Sic ieiunium Deo satisfaciat. S. Bern. serm. 66. in Cant. Ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccato, non superstitio pro impietate. Anna vxor Elcanæ per ieiunium accepit filium cùm esset sterilis Anna, inquit Hieronym.

Lib. 2. in
Iouin.

De laudi-
bus S.
Cypr.

Serm. 1.
de ieiun.

inanem cibo ventrem filio mernit implere. Gregor. Nazianz. explicans quibus armis sancta quædam Virgo diabolum à se repulerit: Ieiunij & humicubationis pharmacum obiecit. Ieiuna ergo quia peccasti, inquit Chrysostr. ieiuna vt non pecces, ieiuna vt accipias, ieiuna vt non pereant quæ accepisti. nam per humilitatem ieiunij contra omnes hostes nostros diuinum meremur auxilium. Sciuerunt hoc maiores nostri ab Ecclesia matre edocti, ideoque in huiusmodi necessitatis articulo duras & continuas abstinentias tum sibi priuatim, tum omnibus publicè indixerunt. ita superius vidimus Guntheramnum regem Franciæ, cùm Hispaniam ac Galliam

Greg. Tu-
ron. 1.9
cap. 21. &
22.

saena pestis inguinaria peruasisset, nihil aliud in vsum vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi præcepisse. & ieiunio suo mox liberati sunt. Triduanum ieiunium indixerat Monachis suis, Monasterio suo iam infecto, Eappa Abbas in Anglia. Misit Deus Principes Apostolorum Petrum & Paulum ad Monasterium, qui salutem & liberationem denuntiarent. Cùm tempore sancti Macarij anno millesimo duodecimo, grauissima pestis Gandensem populum depasceretur, ieiunium indictum est triduanum hominibus & pecoribus, & ecce tertio die securitatem de cessatione diuinitus accipiunt.

Super. in
Oswaldo
rege.

Certè fuit id solemne maioribus nostris in huiusmodi grauioribus totius communitatis afflictionibus exemplo Nisiuitarum non solum hominibus sed & pecoribus

bus ieiunium indicere. Causam dat sanctus Chryso-
 stomus Homilia tertia, ad populum, vbi verè eleganter hæc
 dicit: Et bruta ieiunant & equi & muli sacco vestiuntur
 etiam inquit: sicut enim diuite aliquo mortuo non seruos
 solos & ancillas, sed & equos domestici sacco vestientes
 & agasonibus tradentes ad sepulcrum sequi iubent, cala-
 mitatis magnitudinem ostentantes & omnes ad miseri-
 cordiam allicientes. Sic & in ciuitate illa (Niniue) mori
 periclitante, & brutam naturam sacco circumtixerunt,
 & ieiunij iugo subiecerunt. non licet brutis sermone Dei
 iram discere, discant famis quæ à Deo infligitur plaga.
 etenim si dirueretur, inquit, ciuitas, non tantum nostri
 inhabitantium sed & horum vna esset sepultura. Poenæ
 igitur partem habere debentia, & ieiunij partem capiât.
 Alteram deinde dat causam. Cùm, inquit, essent confu-
 sione pleni nec quicquam haberent excusationis, ad bru-
 ta confugiunt & illorum mortem deplorantes, ex his
 supplicationem faciunt, miserabilem & luctuosam ip-
 sorum perditionem proponentes. non enim sufficebat
 ad placandum Deum peccantium satisfactio nisi senio-
 rum quoque peccata paruulorum innocentia & bruto-
 rum lamentabilis boatus deploraret, & fletibus alienis
 delicta sua iuuentus ablueret. Simili modo anno Domi-
 ni millesimo centesimo vigesimo-quarto Christiani in
 terra sancta à Saracenis circumfessi, exemplo Niniui-
 tarum ieiunium solemne etiam pueris, infantibus & pe-
 coribus indixerunt, itaque miraculosam à Deo ade-
 pti sunt victoriam. Nam cùm tria Christianorum mil-
 lia, Patriarcha præferente Crucem, & Abbate Clunia-
 censi lanceam, qua transfixum est latus Christi, in a-
 ciem prodirent contra quadraginta millia Saracenorū,

Nota.

Ambrosi
in fine.
tom. 2.

splendor de cœlo in Saracenos delapsus, eos ita eneruauit, vt passim fugientes cæderentur, non solum à viris, sed etiam à pueris & feminis. Perierunt in proelio septem millia, submersi in aquis quinque millia. Omnes vero Christiani incolumes reuersi, epinicium Deo cecinerunt, qui victoriam hanc dedisset suo populo. ita ex Roberto Sigeberti Card. Baronius an. 1124.

Notandum verò Judæos vt Deum sibi magis placarent, non sola ciborum abstinentia contentos fuisse, sed jejuniis addebant cilicium quod affligit, & cinere qui humiliat, se aspergebant, vti nos initio Quadragesimæ facimus in die Cinerum. Ideoque jejuniis vocabant afflictionem animæ seu humiliationem. Ita fecit Iudith ca. 8. ita fecerunt Niniitæ. ideoque Isaias cap. 58. Et faccum & cinerem sternere, numquid istud vocabis jejuniis? Nos verò jejunamus sæpè, sed paruo ordinariè fructu. quare hoc? quia non sanctificamus jejuniis, vt monet nos per Prophetam Deus. *Sanctificate*, inquit, *ieiunium*. Ieiunium sanctificare est adiunctis bonis alijs operibus dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. in cassum enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrænatur. Quid prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? si inuidia liuidi sumus? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? *Quare ieiunamus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* libido, concupiscentia, voluntas carnis, voluntas propria, ira, inuidia, superbia. *Ad lites enim & contentiones ieiunatis. numquid tale est ieiunium quod elegi?* Honor jejuniis, pulcrè S. Chrysoft. non ciborum abstinentia est, sed peccatorum fuga. *ieiunas? demonstra mihi per ipsa opera.*

Qualia

Ioel. 1.

Greg. Homil. 16. in Euang.

Hier. ad Celaniam.

Ma. 58.

Qualia inquis opera? si pauperem videris, miserere. si inimicum videris, conciliare. si amicum laudabiliter agentem videris, ne inuideas. si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantum ieiunet, sed & oculus & auditus & pedes & manus, & omnia corporis nostri membra. ieiunent manus à rapina & auaritia munda. ieiunēt pedes ad illicita spectacula cursum reprimētes. ieiunent oculi discentes numquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare. cibus enim oculorum, est spectatio. ieiunet & auris. aurium autem ieiunium est detractiones & calumnias non suscipere. ieiunet quoque os à verbis turpibus & conuicio. quæ enim utilitas cum auibus quidem & piscibus abstinenceamus, fratres. verò mordeamus & comedamus? detrahens, fraternas carnes comedit, &c. Quibus omnibus, iisdem verbis suffragatur S. Bern. Si sola gula peccauit, sola ieiunet & sufficit. si verò peccauerunt & membra cetera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet ergo oculus à curiosis aspectibus & omni petulantia. ieiunet auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus. ieiunet lingua à detractione & murmuratione. ieiunet manus ab otiosis signis. Sed & multò magis anima ipsa ieiunet à vitijs, & à propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc cetera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus ieiuniorum voluntates vestræ inveniuntur. ita Bern. Ieiunium ergo corporis, inquit R. P. *Corn. à Lapide*, condiendum est ieiunio animæ & abstinentia à peccatis. illudque est quod elegit magis Dominus. qui & in cap. 7. Zachariæ Prophetæ, vt ubiq; solet, pulchrè instruit nos quid tempore cladis & calamitatis vel publicæ vel priuatæ agere debeamus, vt per poenitentiam iram Dei placemus. Cum flagellum Dei, ait, veh

Serm. 3.
de ieiun.
Quadra.

in ca 58.
Isa.

Reipublicæ vel priuatim cuiq; imminet, putet sibi quisque à Deo per Zachariam tunc dici: Hinnazer, id est, Esto Nazaræus, jeiuna juxta legem eis præscriptam Nu. 5. separa te à delicijs, à cibis, à lusibus, à voluptate, ac da te austeritati, abstinentiæ, orationi & lamentis, ijsque te sanctifica vt Deum reconcilies. hoc est, Nazaræare. Numquid jeiunium jeiunastis mihi? erratis. illo non delector, illud non curo, immò sperno & auerfor. quia huc vsque vobis, id est, ob paupertatem vestram & ad lugendam captiuitatem vestram jeiunastis, non vt mihi placeatis meque placaretis. Si enim hoc voluissetis, jeiunium corporis debuissetis condire jeiunio animæ & abstinentia à peccatis. ita vir ille pius & doctus. Claudio hoc caput verbis jam citati Prophetæ Isaïæ: *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelsis clamor vester.* Quomodo jeiunant vsque ad hanc diem homines? qui non minus comedunt vno in prandio quàm alijs diebus in prandio & cœna simul, & qui in prandio illo tam pretiosa fercula ex varijs piscium generibus aliisque cibis ad gulam irritandam aptissimis (verba sunt Illustr. Card. Bellarm.) præparant, vt non prandium lugentium & pœnitentium, sed cœnam nuptialem ad multâ noctem peruenturam parare videantur. Qui sic jeiunant, inquit, sine dubio fructus jeiunij non consequuntur. Duobus verbis jeiunium primitiuorum Christianorum expressit Tertull. vt iam suprâ dixi, seras & aridas escas: *Hoc est ieiunium quod elegit Dominus.*

De ante
bene
mor. c. 8.
l. 2.